



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

30. Appellatio capituli a domino Coloniensi et incorporationi interiecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Venerabilibus preposito, decano et capitulo ecclesie nostre Paderbornensis, devotis nostris dilectis.

Item [na]¹⁾ desser vorscrevenen antwort appellierden wy domprovest, deken, capitel ect., alse hierna volget.

Vergl. Schaten zum Jahre 1430.

30. In nomine domini amen. Per hoc presens publicum
 1430 instrumentum cunctis ipsum intuentibus pateat evidenter,
 17. Sept. quod anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo tricesimo, indictione octava, die vero decima septima mensis Septembris, hora primarum vel quasi de mane, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini, divina providencia papae quinti, anno ejus tredecimo, venerabilibus et circumspectis viris dominis Alrado preposito, Henrico decano, Ottone Spegel seniore, Rodolfo de Wyntzingerode camerario, Alberto de Haxthusen, preposito ecclesie sanctorum Petri et Andree, Henrico de Driborch, archidiacono sedis Stenhem, prioribus, Johanne de Driborch, Tyderico Lappen, archidiacono sedis Huxariensis, Hermannno de Oynhusen thesaurario, Lodewico de Rostorp cantore, Stephano de Malsborch, archidiacono sedis Horhusen, Wernhero Krevet, Hermannno de Reklingshusen, Tyderico de Engelsem scholastico, Ravenone de Papenheim, Henrico de Velsten, Johanne de Ymadeshusen, canonicis, in loco capitulari ecclesie Paderbornensis more solito vocatis et capitulariter propter hoc, videlicet animo appellandi congregatis, et capitulum ejusdem ecclesie hac vice representantibus ad subsequentem appellationis notam interponendam unitis, in nostrorum notariorum et testium infra scriptorum ad hac vocatorum

¹⁾ fehlt im Original.

et rogatorum presencia provocaverunt et appellarunt, atque apostolos petierunt et protestati fuerunt. Quam quidem appellacionem prefati domini alta et intelligibili voce legi fecerunt et appellarunt ac apostolos petierunt aliaque dixerunt et fecerunt, prout hec in subsequenti appellacionis nota continentur. Cujus appellacionis tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

Nos Alradus prepositus, Henricus decanus, canonici, totumque Capitulum ecclesie Paderbornensis nostri, nec non civitatis Paderbornensis, totius cleri, laicorum et subditorum ecclesie ejusdem nomine ante omnia protestamur, quod per infrascriptam nostram appellacionem non intendimus nec volumus ab obediencia sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini, divina providentia papae quinti, et sancte sedis apostolice recedere quoquo modo vel resilire, sed ei in singulis licitis et honestis parere, intendere et obedire, nec non eundem dominum nostrum papam ejusque sanctam sedem apostolicam pro posse et nosse cum omni humilitate et devocione honorare et revereri merito, prout tenemur, nec unquam in dignitate, honore et statu quibusvis derogare, sed infrascripta pro conservacione iurium et libertatum nostrorum omnium predictorum ac cause et negotii infrascripti defencione duntaxat dicere, proponere et alligare.

Qua protestatione premissa animo et intencione provocandi, appellandi ac apostolos petendi et recipiendi dicimus, proponimus, conquerimur et allegamus:

Quod a centum, ducentis ac sexingentis annis proxime preteritis, et continue citra et supra ac longe ultra viventium et eorum progenitorum memoriam inter alias solempnes cathedrales ecclesias, iure metropolitico sancte Moguntinensi ecclesie subjectas, Paderbornensis ecclesia semper fuit et hodie sit una de solempnioribus ecclesiis,

fueritque et sit antiquissima per dive et sancte memorie Karolum Magnum, Pippini filium, et alios christianissimos Romanorum imperatores congrue et opulenter diversis bonis, partim pheodalibus sacri Romani imperii fundata, herecta, dotata et in dote comitatibus et dominiis diversis auumentata. Tenuit semper per tantum tempus, et a tanto tempore, cujus inicii memoria hominum non existat, ac hodie teneat, et possideat tam in spiritualibus quam in temporalibus civitatem Paderbornensem respectu aliarum civitatum Alemanie satis notabilem et potentem, et quam [plurima]¹⁾ oppida notabilia, quorum aliqua ex eis pro cathedra episcopali ibidem constituenda habunde sufficerent, ac etiam quam plura in natura fortissima fortalicia, villas, terras et possessiones, ac dioecesim amplam plurium dietarum, in quibus ultra quam ducente parochiales ecclesie solemnes sunt situate, collegiatas ecclesias civitatis et dioecesis, monasteria regularia tam virorum quam mulierum diversorum ordinum.

Que omnia designare et specificè exprimere legentibus fastidium generaret; sed quia notoria sunt, res de se loquatur et si expediat, in processu singula describentur.

Habuit eciam ipsa Paderburnensis ecclesia in predictis castris, terris et aliis locis solempnissimum dominium pacificum et quietum per tempora praedicta; consuevit ab eisdem temporibus et per ipsa tempora et continue citra per pastores, utique de ducum, comitum, baronum et alias illustrium et nobilium genere procreatos regi et gubernari, qui ab antiquissimis temporibus sacri Romani imperii principes et ejusdem imperii illustrissimarum imperatricum cappellani exstiterant speciales; quodque nobilitas et integritas hujusmodi ibidem pastorum pro tempore residentium, nedum ipsius

¹⁾ fehlt im Text, nach Schaten ergänzt.

ecclesie subditorum et vasallorum, sed omnium parcium vicinarum fuit singulare presidium et conservatio: consueveruntque eciam propter nobilitatem dicte ecclesie in eadem duntaxat nobiles, et de militari genere ac legitimo procreati matrimonio, in altero jurium doctores vel licenciati, seu in theologia magistri, et alias diversis virtutum titulis decorati viri ante plura tempora in canonicos recipi, et hodie recipiuntur pro defensione jurium et pertinenciarum ejusdem.

Habueritque a sepe dictis temporibus et continue citra dicta ecclesia Paderbornensis, et pro tempore ipsius ecclesie episcopus ratione fundacionis ejusdem, et hodie habet sub se duces, lantgravios, comites, barones et alios illustres nobiles et militares subditos prefate ecclesie fidelitati asstrictos. Quorum eciam aliqui ex eis non alium, quam pro tempore dominum episcopum Paderbornensem in eorum recognoscunt dominum temporalem: fueritque eciam ab eisdem temporibus et continue citra et hodie sit, cessantibus alienacionibus et invasionibus infra describendis, dicta ecclesia Paderbornensis in decimis, fructibus, redditibus et pensionibus, tot introitibus dotata, quod ex illis episcopus pro tempore existens decentem et honestum statum gravitati et modestie pontificalis dignitatis convenientem absque alicujus gravamine tenere poterit et habere. Quin ymo pro tempore episcopus Paderbornensis, licet ejus civitas et diocesis in confinibus et a propinquo habeat quam plures principes, comites et barones ac milites ad invadendum ipsas civitatem et diocesim, ut est notorium, promptissimos et invadentes, de bonis tamen dicte ecclesie et de potencia suorum subditorum potuit semper et hodie posset, si quis ibidem esset, ipsam ecclesiam et ejus jura a quorumcunque eciam principum et aliorum dominorum spiritualium et temporalium circum vicinorum incursibus

defensare, ac vim vi repellendo hostiliter resistere ascendentibus ex adverso, prout in quam pluribus triumphis et victorijs satis notabilibus temporibus nunc vivencium per predictos episcopos pro tempore gloriose constitutis¹⁾ evidenter emicuit.

Quorum utique unum revelatione dignum dicatur, ubi pie memorie quondam dominus Fridericus, archiepiscopus Coloniensis, reverendissimi in Christo patris ac domini Theodorici, archiepiscopi moderni predecessor immediatus, ipso cum suo et aliorum principum ingenti exercitu dictam diocesim Paderbornensem incendiis et rapinis hostiliter intrante et invadente mille quadringentis equis et sexingentis equitibus pro majori parte notabilibus armatis vel circa dicti exercitus per solius tunc electi Paderbornensis et suorum subditorum potentia ac resistencia viriliter ceptis ac depredatis, solus cum paucis fugam capiendo vix evasit.

Esto etenim, quod tanti redditus, pensiones et introitus dicte ecclesie Paderbornensis ex cujuscunque culpa vel negligencia, seu qualibet alia causa, pro sustentatione status episcopalis, ut prefertur, quod tamen minime admittitur in presens, non subessent, aut reperirentur, veritas tamen est, quod tot et tanta oppida, castra, predia cum eorundem mero imperio et dominio ipsi ecclesie post ejus primariam foundationem ex episcoporum pro tempore industria, ac pia legantium et acquirentium devotorum affectu largiter accreverunt adeo, quod, licet ipsa paucos redditus episcopali mense tribuant, si tamen ipsorum aliquorum ymmo paucorum imperium et dominium vendicioni, si liceret, exponerentur, reperirentur emptores ex principibus et dominis circumjacentibus, qui tantum thesaurum pro eisdem darent et exponerent, cum quo universi redditus et

¹⁾ Schaten: consecutis.

introitus primarie foundationis ipsius ecclesie pro sustentatione episcopalis dignitatis possent recuperari et redimi, ymmo alii tot et tanti de novo constitui et haberi.

Eiusdem ecclesie Paderbornensis districtus quam plures clarissimos et illuminatos viros, tam in Romana curia quam extra, videlicet prothonotarios sedis apostolice, episcopos, auditores et doctores enutrivit.

Et licet alias reverendissimus in Christo pater, dominus Theodericus, archiepiscopus Coloniensis predictus ex nonnullis compositis persuasionibus ipsam ecclesiam Paderbornensem a tunc sanctissimo domino, domino Johanne, papa XXIII., per quasdam suas literas sub dato Idus Aprilis, pontificatus sui anno quinto in opido Friburgh, Constantiensis diocesis, post ipsius de Constancia occultum recessum obtinuerit, sibi ad dies vite sue taliter qualiter concedi in commendam, fueritque ad eandem ecclesiam, in finem tamen, ut ipsam salubriter citra alicuius rei immobilis vel preciosi mobilis alienacionem, fructibus ipsius ecclesie in ejusdem utilitatem convertendis juxta ipsarum literarum decretum et interdictum certa ad id in se continencium tenorem, certo eciam juramento per eum ad id prestito sub certis literis ejus sigillo appendenti desuper sigillatis regeret ac fideliter conservaret, nec non defenderet, receptus et admissus, horum tamen immemor — ejus reverencia semper salva — certa solempnia castra, predia, ac bona immobilia dicte diocesis, in processu cause specificanda, sine consensu capituli ecclesie Paderbornensis alienaverit, nec non ab officiatis suis castrorum et fortalicionum ipsius diocesis Paderbornensis, ut ad ecclesiam Coloniensem conservent, ut sic perpetue a prefata ecclesia Paderbornensi alienentur, juramenta certa exegerit et exigat, ac quam plures notabiles summas pecuniarum, fructuum dicte ecclesie Pader-

bornensis similiter specificandas in usus Coloniensis ecclesie converterit, ipsis literis ac tali quali commenda per eum, ut prefertur, impetratis multifarie abutendo, et continuam residenciam in locis circumvicinis civitatis Coloniensis, que ultra tres dietas a civitate et diocesi Paderbornensi notorie distat, faciens inter homines, vita, conversacione et moribus subditis ipsius ecclesie Paderbornensis omnino contrarios.

Ad easdem civitatem et diocesan per biennium proxime preteritum et ultra minime declinaverit, ac alias ad ipsarum civitatis et diocesis Paderbornensis conservacionem, gubernacionem et defensionem hucusque satis modicam diligenciam duxerit adhibendam, adeo et totaliter, quod bona subditorum ecclesie Paderbornensis supradicte cotidie hostiliter invaduntur et in predam abducuntur, pauca, ymmo nulla, per eum adhibita resistencia aut remedio opportuno, sic quod hujusmodi pretense commende durante tempore fructus et introitus ipsius ecclesie dicti domini archiepiscopi culpa et negligencia causantibus sunt plus quam medietate dissipati et diminuti.

Cumque hec sint detestabilia, ymmo absque merore referri non possunt, ac satis tendant in suppressionem et destructionem dicte ecclesie Paderbornensis, presumaturque verisimiliter a quam pluribus, quod in vindictam casus et ruine exercitus ipsius domini archiepiscopi, quondam predecessoris sui pretacti, ac quod ipsa Paderbornensis ecclesia sic suppressa ab ecclesia Coloniensi, que ei in pluri est obligata, jus suum petere non valeat, nec ammodo, ut premittitur, contra ipsam se defendat, fuerint et sint ordinata, nihilominus tamen idem dominus archiepiscopus hiis detestabilibus non contentus, ut noviter ad noticiam nostram Alradi prepositi, Henrici decani, canonicorum ac tocus capituli ecclesie Paderbornensis devenit, propositum suum omnino

detestabilius hucusque tectum ad lucem deducens, predictis veris et veritate subjecta subdole tacitis et suspersis falsitatibus de valore annuo fructuum, redituum, et proventuum mense episcopalis dicte ecclesie Paderbornensis, quem adhuc introitus duntaxat unius castri, quorum plura sunt ipsius diocesis, excedunt, et aliis quam pluribus false suggestis et suspersis, querens que sua sunt, non que Christi, in finem ut principem circumveniret, et ut ipsa ecclesia Paderbornensis funditus supprimeretur ac re, nomine et honore pontificalis dignitatis extingueretur, a sanctissimo domino nostro, domino Martino, divina providencia papa quinto, sepe dictam ecclesiam Paderbornensem sibi et ecclesie Coloniensi subrepticie et obrepticie perpetue fama publica referente uniri et incorporari obtinuit et impetravit in destructionem, vituperium, et perpetuum obloquium ecclesie Paderbornensis, nostrum, ipsius diocesis, civitatis ac omnium subditorum earundem, et maxime camere apostolice, sacri Romani imperii et ecclesie Moguntine valde notabile detrimentum, prejudicium, dampnum et gravamen.

O insaciabilis dominandi libido! O sacra auri fames! Querere et instare ecclesie Coloniensi, cujus fructus, redditus et proventus, dum et quando discreto ordine secundum deum, ut deceret, gubernata foret, pro decem episcopis habunde sufficerent! Cogitve ulla necessitas, ad mare cogeri aquarum guttulas, ut plus tumescat et habundet? Capitve contra antiquorum vulgatam sententiam adiectionem¹⁾ plenitudo?²⁾ Quid ridiculosius esset, cum sacrorum canonum documenta dignitatum et beneficiorum numerum augendum decernant, non extingui?³⁾ In hoc enim sancti patres honorem suum crescere fatebantur, quando alios in honore conservabant.

¹⁾ Anhäufung. ²⁾ Vollkommenheit. ³⁾ für extingui.

Stolte, Liber dissencionum.

Quomodo igitur tam levis et prompta surgit audacia nulla subsistente causa legitima, ut temptetur, quod sancta sedes apostolica in minutis servitiis, Romanum imperium in principe, imperatrix in capellano speciali, ac ecclesia Moguntina in suffraganeo suis defraudentur, orbentur et priventur, ac tam misere de matre constituatur filia, et de libera tam schandalose efficiatur tributaria et ancilla, quinymmo de viva fiat mortua et extincta?

Certe indecens et inhonestum foret, piam intentionem dictorum christianissimorum imperatorum, pre-tacte ecclesie fundatorum, frustrari effectum, et fructum, quem iidem ac pastores ecclesie, nec non alii Christiani fideles et devoti homines illius patrie gravibus sumptibus seminaverunt et Deo dedicaverunt, ad aliena horrea tam indiscreto iudicio¹⁾ transportari! Quod, ut timendum est, non absque detestabili sanguinis effusione perficeretur, et ex hoc sine dubio infinite guerre, homicidia et animarum perdicionem et lites immortales, parcialitates inextinguibiles²⁾ in illis partibus orirentur.

Et cum nulli sub alterius jactura consulendum sit, ac quilibet terminis suis debeat contentari, satis habet respicere et gubernare dominus archiepiscopus Colonien-sis pro tempore existens. Et utinam manus Dei sit ei propicia, ut omnia debite gubernentur, et testantibus dictis sanctorum patrum quilibet in jure suo et honore debet conservari, ne subtractis columpnis corruat edificium! Ymmo si dicta incorporacio haberet vigorem et esset sortita effectum, merito propter premissa ad utramque per se sufficeret? Et quia de una earundem ad aliam nisi per territoria duorum magnorum principum, ducum Montensis et Clevensis, absque gravi periculo per viatores quoslibet, ymmo per dominum Coloniensem in

¹⁾ unbesonnenes Zeugniß. ²⁾ für inextinguibiles.

ejus propria persona nisi cum magno comitatu perveniri minime potest, dissolvi potius deberet et disiungi.

Unde nos, prepositus, decanus, canonici et capitulum predicti nostrorum et ecclesie Paderbornensis, totius civitatis et diocesis, cleri, laicorum et omnium subditorum eorundem nomine, non modicum ex premissis tamquam fideles matris sue filii dolore compuncti, — quem enim fidelem matris sue filium contumelia tanta non lederet, et confusio tam schandalosa non moveret, et quia res ipsa Deo ingrata, mundo hodibilis schandalosa parit, honorem ledit, perpetuum prejudicium rerum, bonorum et honorum producit, ac cum crudelis sit famam suam negligens, — volentes predictis incorporacioni et unioni, si que sint, ne ad illum detestabilem et inordinatum effectum deducantur, quantum in nobis est, salvis tamen protestacionibus nostris premissis, occurrere et predicta ad sanctissimi domini nostri, domini Martini, pape quinti, et ejus sacri collegii reverendissimorum dominorum sacrosancte Romane ecclesie cardinalium noticiam deducere, a predictis incorporacione et unione ac literis desuper forsitan confectis, si que sint, cum, non vocatis, neque auditis illis, de quorum prejudicio perpetuo agitur, et sine consensu eorundem, ac non justificatis expositis in ipsis pretensis literis, sicuti nec unquam, quia mendosa, justificari poterunt, ac aliis solemnitatibus et stilo in talibus gravioribus negociis merito servandis minime servatis, sint subrepticie et obrepticie extorte et impetrate, ac a quibuscunque processibus desuper fulminatis forsitan et fulminandis, ac ab omnibus gravaminibus et periculis, que ex premissis seu eorum quolibet, ac ab ipsis literis et processibus pretensis, quas et quos hic pro justificacione presentis appellacionis inserimus et pro insertis habere volumus, et non alias colliguntur, seu

colligi poterunt, pro nobis omnibus communiter et divisim et singulis, quos tangit negocium huiusmodi et in futurum tangere poterit, ac omnibus adherentibus nobis vel adherere volentibus, contra dominum, dominum [Theodericum]¹⁾ archiepiscopum, in huiusmodi causa et negocio principalem, ad sanctissimum in Christo patrem, dominum nostrum Martinum, divina providentia papam quintum predictum, sinistre informatum, melius circa premissa informandum, et sanctam sedem apostolicam in hiis scriptis appellamus et apostolos petimus primo, secundo, tercio, instantanter, instancius, instantissime, si quis sit, qui eos dare velit et possit.

Et subiicimus nos, ecclesiam Paderbornensem ac civitatem et diocesis pretractas, necnon clerum et laicos ac omnes [subditos]²⁾ eorundem et omnes, quorum interest, ac nobis adherentes ac adhesuros ac nostrorum omnium et ipsorum statum et honorem, necnon beneficia et bona quecunque tuicioni et defensionis sedis apostolice antedictae. Et protestamur de huiusmodi appellacione prosequenda ac insinuanda et intimanda ipsi reverendissimo patri, domino archiepiscopo Coloniensi et aliis quibuscunque, quorum interest, suis loco et tempore opportunis. Jure addendi, corrigendi, minuendi, mutandi et augendi, necnon de novo appellandi ac aliis iuris beneficiis nobis semper salvis.

Super quibus omnibus et singulis iidem domini supradicti requisierunt nos notarios infrascriptos, ut eis super premissis unum vel plura publicum seu publica in meliori forma ad dictamen cuiuslibet sapientis conficeremus instrumenta.

Lecta et interposita fuit hec suprascripta appellacio modo et forma premissis sub anno, indictione,

¹⁾ fehlt in der Handschrift, nach Schaten ergänzt. ²⁾ nach Schaten ergänzt.

die, mense, hora, pontificatu et loco supradictis, presentibus ibidem discretis viris Johanne Loeff et Helmico Helmich, alias Nyewech, clericis Paderbornensis diocesis, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Et ego Hermannus Nasen, clericus Paderbornensis, publicus imperiali auctoritate notarius, quia premissis omnibus et singulis, dum sic, ut premittitur, agerentur et fierent, una cum discreto viro Bertoldo Gossentorp, clerico Paderbornensis (ecclesie)¹⁾ supradicte ad huiusmodi actum connotario, testibusque prenominatis presens fui atque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, idcirco hoc presens publicum instrumentum per alium me aliis impedito negociis fideliter exinde confeci ect.

Et ego Bertoldus Gossentorp, clericus Paderbornensis, publicus ect.

Na antworde unsses hern van Colne up unse scryft 31.
eme gesant van der incorporacien, so quam unse her van Colne to Arnsberg unde sande van dennen²⁾ do an uns hern Raven van dem Calenberge, ritter, hern Bernde Kannen, ritter, Johan unde Gerde Spegele, Ffrederiche van Driborgh, Johann van der Asseborgh, Henrich Stapel, Ffrederich van Papenheim, Wilhelm Westphale, Dyderich van Nihusen, Corde van Oyenhusen unde Wilhelme van Vernde, des stichtes man,³⁾ unde let uns seyen,⁴⁾ dat de pawes hedde eme gegeven unde incorporet laten to dem stichte van Colne unsen sticht van Paderborn, unde let bidden, dat wy dat so wolden annemen, holden unde deme so volgen, so sek dat geborde.

Do unse hern dat wedderspreken unde seden,⁵⁾ dat sunder eren willen unde vulbort⁶⁾ dat geschen wesen,⁷⁾

¹⁾ Ist im Original ausgeblieben. ²⁾ von dannen. ³⁾ Mannen. ⁴⁾ sagen. ⁵⁾ Da unsere Herrn dem widersprachen und sagten. ⁶⁾ Zustimmung. ⁷⁾ wäre.